Imitatio Orationis Marii in Besi contra malevolorum calumnias et contemptum.

Scio ego, P. C. multos ex mera invidia hoc ipsum de me sparsisse, quicquid est rumoris me scilicet variis illicitisque artibus officium meum à vobis petiisse, et, postquam id adeptus pessime gerere: me primo industrium, aequi boniq; amantem, et modicum fuisse, deinde per ignaviam, iniquitatem et superbiam aetatem meam agere coepisse: Sed contra res se habet: Nam quò universa Respubl. pluris est, quam officium hoc meum publicum, eo majore cura illam administrari, quam hoc à vobis peti debere semper censui. Neque me fefellit, quantum cum maximo vestro beneficio officium sustinerem. Bonum publicum curare, simul et rem augere publicam, cogere in ordinem cives, qui extra honestatis orbitam vagantur, domi forisq; omnia bene administrare inter invidos, factiosos et occurrentes labore omni gravius est opus. Atq; hoc unum, dum alii me studio Reipubl. facere animadvertere vetus illorum odium, summa invidia, multorum item conspirationes multa calumnia omnibus meis laboribus ac curis obstitere: adeo ut mihi iam spes omnes in memet sitae colligendae videantur, quas virtute et innocentia tuear: Nam alia infirma sunt: et illud intellige P. C. omnium invidorum maledica ora versa in me esse, paucos aequos bonosq; mihi favere. Quippe beneficia mea in Rempubl. satis omnino prodant, calumniatores locum me invadendi quaerere. Quò mihi acrius adnitendum est, uti neque Respublica detrimenti quid capiat, et illi frustrati sint. Ita ad hoc aetatis à pueritia mea fui, ut omnes labores et pericula consueta habeam, quae ante ulla olim beneficia gratuito feci, ea uti acceptis injuriis deseram, non est consilium. Difficile illis est in summis officiis sibi temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere, mihi vero, qui omnem aetatem in honestis artibus ac virtutibus egi, benefacere iam ex consuetudine in naturam vertitur. Ut strenuum in meo me gererem officio saepe jussistis P. C. quod ubi auctoritate vestrâ fretus feci, calumniatores eam rem aegerrime tulerunt. Quaeso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit. Ecquem ex illo calumniatorum globo ad hoc aut aliud tale quod ego fungor offi-